



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

12. Regimini Universalis, &c. Ecclesiam S. Bavonis Gandavi quæ anno  
1536. facta fuerat Collegiata, suppresso C nobis Moachorum Ordinis S.  
Benedicti, erigit in Cathedralem, ibique novum instituit ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)



apposita non intelligantur, aut alias comprehendantur, nihilominus in genere, & in specie ad effectum sufficientis derogationis eorum, illis alias in suo robore permanens, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscumque.

Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de Dignitatibus, ac Canonicatibus & Præbendis ipsarum Ecclesiarum speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis, in illis partibus generalis dictæ Sedis, vel Legatorum ejus litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras, & processum habitos per easdem, & inde sequuta quæcumque, ad Præposituram, & Archidiaconatum, ac Canonicatum, & Præbendam hujusmodi volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Dignitatum, ac Canonicatum, & Præbendarum, vel Beneficiorum aliorum præjudicium generari.

Aut si pro tempore existenti Episcopo, & dilectis Filiis Capitulo Brugensi, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem Sede sit indultum, aut in futurum indulgeri contigerit, quoad receptionem, vel provisionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per Litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuscumque aliis privilegiis, indulgentiis, & Litteris Apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorem existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ concessionis, assignationis, suppressionis, extinctionis, translationis, erectionis, institutionis, segregationis, divisionis, applicationis, appropriationis, statuti, ordinationis, unionis, annexionis, incorporationis, inhibitionis, decreti, mandati, suspensionis, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo, quinto Idus Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

Erat signatum,

Cæ. Glorieux.

Et super plicam,

A. de Alexiis.

XII.  
Ex Op.  
Dipl. Mi-  
ra Tom. 2.  
pag. 1066.

Ecclesiam S. Bavonis Gandavi, quæ anno 1536. facta fuerat Collegiata, suppresso Cœnobio Monachorum Ordinis S. Benedicti, erigit in Cathedraliam, ibique novum instituit Episcopum Suffraganeum Archiepiscopatus Mechliniensis, cui annexit Dignitatem Abbatis Sæcularis, seu Præposituram ejusdem Ecclesiæ: anno 1560.

### PIUS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.*

**R**egini Universalis Ecclesiæ disponente Domino præfidentes, pro Ecclesiarum quarumlibet, præsertim Cathedralium noviter erectarum, illisque præfidentium, & in Divinis servitium, statu salubriter dirigendo, prout ex debito nobis injuncti Pastoralis Officii tenemur, solite considerationis aciem extendimus, & ad ea, per quæ Ecclesiarum ipsarum dotationi, decori & hone-

stati, suorumque Præfulum, Capitulorum, & aliarum Personarum Divinis ibi laudibus insistentium statui, & opportune subventioni cum Divini Cultus augmento, & animarum Christianidelium salute consulitur, nostræ sollicitudinis partes libenter adhibemus, & alias super his, & nonnulla, quæ à Prædecessoribus nostris licet consulto gesta fuerint, ex saniori tamen consilio prudenter immutando disponimus, prout locorum, temporum, personarumque qualitas exigit, & ipsarum Ecclesiarum utilitas persuadet, & in Domino conspiciamus salubriter expedire.

Cum itaque alias postquam felicis recordationis Paulus Papa Quartus, Prædecessor noster, providi Pastoris more considerans, quod ea pars inferioris Germaniæ, quæ charissimo in Christo Filio nostro Philippo, Hispaniarum Regi Catholico, hæreditario jure etiam tunc subiecta erat, pro tanta celeberrimorum oppidorum frequentia, populorumque multitudine, adeo paucas Ecclesias Cathedraliales habeat, ut illarum Episcopi, eâ quæ opus erat, diligentia tantam animarum multitudinem regere nequirent, idque nonnullis eorum hoc erat difficilius, quod Diocesani sui vulgari idiomate, institutisque differebant, & quidam eorum ejusmodi privilegia habebant, ut ipsos ad Sedem Episcopalem non liceret evocare, ita ut nec Fidei Doctrinæ, & piæ vivendi præceptis commode instrui, nec si qui deliquissent, facile corrigi ab Episcopis suis possent, ac ob assiduas hæreticorum, & schismaticorum, à quibus eadem Regio omni fere ex parte cincta erat, insidias, pestiferasque doctrinas illic Fides Catholica, & animarum salus in maximo discrimine versabatur.

His, aliisque gravibus causis impulsus, volens etiam ipsius Philippi Regis, hoc illi supplicantis precibus, pioque desiderio satisfacere, habita, sicut rei magnitudo postulabat cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione maturata, de eorum Consilio, deque Apostolica potestatis plenitudine, Cameracensem Civitatem, & Diocesim à Remensi Provincia, cui tunc erat Metropolitanico Jure subiecta:

Ac Gandavensē olim Tornacensē Diocesis, & diversa alia tunc expressa Oppida insignia dictæ regionis cum omnibus, & singulis suis terminis, Territiis, Clericis, Populis, Personis, Monasteriis, Beneficiis Ecclesiasticis cum Cura, & sine Cura, Sæcularibus, quorumvis Ordinum Regularibus, & aliis piis Locis, à suis quodlibet Diocesi, & Provincia perpetuo segregaverat, diviserat, & separaverat.

Ac Gandavensē, & reliqua Oppida prædicta sic divisa in Civitates; Sedem verò Cameracensem tunc Episcopalem in Metropolitanam, ac olim Collegiatam Sancti Bavonis Gandavensis, certasque alias aliorum Oppidorum in Civitates erectorum prædictorum Ecclesias in Cathedraliales pro totidem Episcopis creandis, qui suæ quisque Ecclesiæ præessent:

Ac Gandavensē, aliisque Ecclesiis, & Civitatibus præfatis certos districtus, per Nuntium suum postmodum ab eo illuc mittendum limitandos, pro sua Diocesi perpetuo concesserat.

Nec non Gandavensem prædictam, & certas alias tunc expressas Ecclesias, Civitates, & Dioceses Ecclesiæ Mechliniensis hujusmodi pro sua Provincia subjecerat.

Singulisque Gandavensibus, & aliarum noviter erectarum Cathedralium Ecclesiarum Mensis Episcopalibus, annum redditum trium millium Ducatorum auri de Camera ex certis decimis, & Bonis, ac fructibus, redditibus, & proventibus Ecclesiasticis per dictum Nuntium specificandis, & repartendis, ex tunc, prout ex ea die, & e contra, postquam specificati, & repartiti, ac interim donec specificatio, & repartitio hujusmodi factæ, & effectum sortite forent, & non ultra, cuilibet ex prædictis Mensis pro earum dote alium annum

redditum



redditu mille & quingentorum Ducatorum similia pro ipso *Philippo* Regem ex redditibus, & proventibus, quos ex dicta Regione percipiebat, Gandavensi, aliisque noviter institutis Episcopis pro tempore existentibus, singulis annis, quousque specificatio, & reparatio præfata facta essent, ac pro ea tantum parte, quæ plenarium suum effectum minus fortita foret, nec ultra, integrè, & proportionabiliter persolvendum perpetuè applicaverat, & appropriaverat.

Ac eidem *Philippo* Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini essent, Jus nominandi Romano Pontifici personas idoneas, ac alias tunc expressis modo, & forma qualificatas ad Gandavensem, & alias Cathedralis Ecclesias sic erectas, tam à primæva illarum erectione hujusmodi, quam quotiescumque illas pro tempore vacare contingeret, Romano Pontifici, qui pro tempore foret, per eum in Episcopos ad nominationem hujusmodi ordinandos, in perpetuum reserverat per quasdam sub plumbo, & deinde per alias suas in forma Brevis Litteras Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatore Episcopo Clusino, suo & Apostolicæ Sedis in partibus illis Nuntio, dederat in Mandatis, ut personas idoneas, quæ dictas Provincias, & Dioceses distinguere, & limitarent, ac dotem dictarum Ecclesiarum à Monasteriis, & Præposituris sub illis consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi vice sua deputaret.

Dilectus Filius noster Antonius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis *Gravellanus* nuncupatus, tunc Episcopus Atrebatenfis, ac quatuor alii scientia, & probitate insignes viri, quos ad id ipse Salvator Episcopus, & Nuntius, dicto Prædecessore interim de medio sublato, vigore, seu prætextu Mandati, & posteriorum litterarum hujusmodi substituerat, licet forsitan eorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id canonicè subdelegari possent.

Facta nihilominus perquam diligenti rerum indagine, & omnibus maturè pensatis, animadvertentes, quod si passim de dotibus Ecclesiarum hujusmodi per dismembrationes Bonorum à Monasteriis, & Præposituris prædictis provideretur, cultus Monasticus non mediocriter læderetur, quin potius ipsa Monasteria, & Præposituras, vel eorum aliqua Mensis prædictis pro dote suarum Ecclesiarum, ad hoc ut Episcopi etiam illorum curam perinde atque suam propriam perpetuo gererent, esse unienda.

Ac designationes, & Limitationes Provinciarum, & Diocesium, divisionesque, & distributiones Oppidorum, & jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum Diocesium, commodiores illis, quæ per primodictas Litteras statuiebantur, fore prævidentes, idcirco assignationes dotium, numerumque Personarum, ac Dignitatum, Præbendarum, Officiorum, & Beneficiorum in eisdem Ecclesiis, statum etiam, & formam per hujusmodi suppressiones, & applicationes, aliisque in universum accommodatas rationes habendas censuerunt, ac eidem Ecclesiæ, & pro tempore existenti Episcopo Gandavensi, pro sua Diocesi Oppida, Castra, Pagos, & Loca infra scripta videlicet.

Gandavum, Teneramundam, Oudennardum, Hult, Tiel, Axellam, Delfdonck, Loo-Christi Mendonck, Saffelaere &c. cum suis districtibus, & Territoriis assignanda esse censuerunt, ac super majori illorum parte Processus, rebus omnibus seriè digestis, formandos curaverunt, prout in illis ac singulis Litteris prædictis, ac forsitan aliis scripturis desuper confectis plenius continetur.

Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, & quod litteræ reservationis, vel assignationis, & motu proprio cuiusvis pensionis annuæ super alicujus beneficii fructibus expediri non possent, nisi de consensu illius,

qui pensionem hujusmodi persolvere tunc haberet, partitionem, & ordinationem per eosdem Subdelegatos, quantum ad Ecclesiam, Civitatem, vel Diocesim Gandavensem attinet, accuratè perspectas, prudenter examinatas, & in scriptis concorditer digestas fuisse attendentes.

Ac partitionis, & ordinationis Subdelegatorum hujusmodi, scripturarumque desuper confectarum, & inde secutorum tenores, & numerum Canoniciatum, & Præbendarum ipsius Ecclesiæ Gandavensis, eorumque singulorum fructuum, reddituum, & proventuum veros annuos valores præsentibus pro expressis, ac partitionem, & divisionem, aliaque præmissa quoad Ecclesiam, Civitatem, & Diocesim Gandavensem, sicut præmittitur, gesta, rata, & grata habentes, ac Apostolicæ confirmationis robore harum serie munientes, omnesque Juris, & facti defectus, si qui intervenerint, in eisdem suppletentes, ac illis in hac parte inhaerentes.

Litterasque dicti Prædecessoris quoad illa, cæteraque infra scripta ab eisdem Litteris discrepantia duntaxat permutantes, & pium, & laudabile dicti Prædecessoris institutum prosequi, & ad hunc effectum eidem Mensæ Gandavensi de congrua dote providere volentes.

Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine in Præpositura Ecclesiæ, olim ex Monasterio Sancti Joannis, vel Sancti Bavonis, Sancti Benedicti, vel alterius Ordinis, Ordine ipso, utriusque statu Regulari, ac etiam dignitate Abbatiali, post dilectorum Filiorum moderni Abbatis, & illius Coadjutoris decessum ibi suppressis, in Sæcularem, & Collegiatam redacta, & deinde in Cathedralis, ut præmittitur, erecta, dignitate ex ipsa Abbatia sic suppressa olim inibi principali, cujus & illi forsitan annexorum fructus, redditus, & proventus trium millium Ducatorum auri similia secundum communem æstimationem valorem annuum, ut accepimus, non excedunt.

Cum primum illam per cessum, etiam ex Causa permutationis, vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem, vel amissionem ipsorum modernorum Abbatis, & ejus in olim Abbatialis dignitatis, nunc verò Præposituræ hujusmodi regimine, & administratione Coadjutoris, aut aliis quomodolibet, etiam apud Sedem Apostolicam, vacare contigerit, & si actu nunc, ut præfertur, vel aliàs vacet, ac tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem prædictam legitime devoluta, ipsaque Præpositura dispositioni Apostolicæ specialiter, vel quia dignitas principalis est, ut præfertur, aut aliàs generaliter reservata existat, & ad illam consueverit quis per electionem assumi, eique Cura, & jurisdictione imminet animarum, ac super ea inter aliquos Lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, ex nunc, prout ex tunc, & è contra, nomen tantum, & denominationem Præposituræ dicta auctoritate tenore præsentium perpetuè supprimimus, & extinguimus.

Illiusque, & annexorum eorundem fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, emolumenta, & Bona quæcumque quovis nomine nuncupata, unà cum ejus præminentis, prærogativis, superioritatibus, jurisdictionibus, & administrationibus universis dictæ Mensæ Episcopali Gandavensi, ita quod hujusmodi vacatione occurrente liceat Episcopo Gandavensi, pro tempore existenti, per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem, seu quasi, fructuum, reddituum, jurium, obventionum, emolumentorum, & aliorum Bonorum Præposituræ hujusmodi propria auctoritate liberè apprehendere, & retinere, illaque percipere, exigere, & levare, ac in suos, & dictæ Mensæ usus, & utilitatem convertere.

Nec non omnia, & singula Prioratus, Præposituras, Canonicatus, & Præbendas, Dignitates,



Personatus, Administrationes, & Officia, cæteraque Beneficia Ecclesiastica cum Cura, & sine Cura, Sæcularia & quorumvis Ordinum Regularia, ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, institutionem, confirmationem, & quamvis aliam dispositionem olim Abbatis Monasterii, & nunc Præpositi Ecclesiæ Sancti Bavonis hujusmodi communiter vel divisim quomodolibet spectantia, personis idoneis conferre, & de illis etiam providere, similesque personas ad illa præsentare, & eligere, & præsentatas, vel electas instituere, & confirmare, aliasque de illis liberè disponere, cæteraque in præmissis, & circa ea necessaria, & opportuna, & quæ eorundem Monasterii Abbas, & Ecclesiæ Præpositus hætenus facere, & exequi potuit, & debuit, facere, & exequi, cujusvis licentiâ desuper minimè requisitâ, dictâ Apostolicâ Auctoritate ei perpetuò applicamus, & appropriamus.

Nec non suppressionem, extinctionem, applicationem, appropriationem, & alia præmissa sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, vel derogationibus similium, vel dissimilium suppressionum, extinctionum, applicationum, & appropriationum, aliarumque unversarum per Nos, & Sedem prædictam sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis pro tempore factis minimè comprehendi, sed ab illis semper exceptas, & quoties illas suspendi, revocari, aut illis derogari contigerit, toties eas de novo concessas, & in pristinum statum restitutas, & ad hoc ut sub revocationibus, suspensionibus, & derogationibus hujusmodi minimè comprehendantur, ex nunc verè, & non sicut plenarium, & integrum effectum fortitas, suppressionemque, & extinctionem, applicationem, & appropriationem præfatas de non vacatura, sed de vacante Præpositura hujusmodi factas, per illas ex nunc eisdem Mensæ Episcopali, & Episcopo Gandavensi pro tempore existenti Jus in re verè, & non sicut quæsitum existere, ac præsentium litterarum suspensiones, revocationes, derogationes, & alias contrarias dispositiones pro novis illarum concessionibus, & restitutionibus haberi, & cæteri decernimus.

Nec non dilectis Filiis Capitulo Ecclesiæ Sancti Bavonis hujusmodi, aliisque quibusvis in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis majoris lætæ sententiæ, nec non privationis omnium Dignitatum, Officiorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos pro tempore obtentorum, inhabilitatisque ad illa, & alia in posterum obtinenda, pœnis, per contrafacientes eo ipso incurrendis, ne ad electionem, seu postulationem in Præpositum dictæ Ecclesiæ, cum Præpositura ipsa vacabit, etiam nunc vacet, ut præfertur, procedere, vel aliud in præmissis, vel eorum aliquo quoquo modo attentare, aut illis refragari præsumant, districtius inhibemus.

Et nihilominus quascumque electiones, seu Postulationes hujusmodi, earumque confirmationes, vel admissiones, nec non privationes, præfectiones, commendas, quas de cætero etiam per Sedem prædictam de dictâ Præpositura quomodocumque fieri contigerit, nullas, & invalidas, nulliusque roboris, vel momenti fore decernimus.

Ut autem idem Episcopus Gandavensis suam Ecclesiam Personis, ut insignem decet Cathedrali, circumspèctis, & eruditis, & ad jurisdictionem inibi exercendam, cæteraque munera Ecclesiastica obeunda idoneis, debite instructam habeat, quòd ex omnibus Canonicatibus, & Præbendis ipsius Ecclesiæ decem Canonicatus, & totidem Præbendæ, quinque videlicet ex Præposituræ, nempe sinistri, & reliqui quinque ex Regis, seu dextri lateris partibus ejusdem Ecclesiæ, quos primo loco, postquam eidem Ecclesiæ de Episcopo Canonicè provisum fuerit, per cellum, & ex Causa permutationis, vel decessum, seu quamvis

aliam dimissionem, vel etiam privationis viâ amissionem quorumlibet decem Canonicorum ejusdem Ecclesiæ, aut alias vacare contigerit, vel etiam si actu nunc quovis modo vacent, ac devoluti, & litigiosi sint, ut præfertur, unus, & una vacantia Episcopo, ratione quorum sit Capitularis, ita quod habeat locum, & vocem super Decanum, & reliquos Canonicos Confratres suos etiam in Capitulo; Ac tres alii tribus Magistris, aut Licentiatos in Theologia, & tres aliis tribus Doctoribus Decretorum, seu in eis Licentiatos, & reliqui tres Canonicos, & totidem Præbendæ hujusmodi tribus Nobilibus ejusdem Diocesis, etiam in Jure, vel Theologia saltem in gradum Licentiaturæ in famosa quapiam Univeritate Studii generalis cum rigoroso examine promotis, ordine servato, in perpetuum concedi, & assignari debeant.

Quodque dictæ Ecclesiæ Archidiaconatus unum & unam ex sex prioribus Canonicatibus, & Præbendis perpetuò habeat, & percipiat, ipsiusque Ecclesiæ Canonicus existat, & ad illos quinque priores tam Nobiles, quam non Nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos vero tres Canonicatus, & tres Præbendas ex reliquis novem Canonicatibus, & Præbendis hujusmodi nulli nisi Nobiles, & Graduati, ut præfertur, assumi possint: Ac Archidiaconus ipse post tamen modernum, seu modernorum ejusdem Ecclesiæ Archidiaconorum cessum, vel decessum, plenariam jurisdictionem Archidiaconalem in univèrsa Diocesi Gandavensi, quam cæteri Cathedralium Ecclesiarum partium illarum Archidiaconi de jure, vel consuetudine habent, & habere debent, habeat; Unus vero sit Archipresbyter Civitatis nuncupandus, qui specialem Pastorum, seu Rectorum Parochianorum, & Concionatorum in eadem Civitate Curam habeat; alius autem ex tribus prioribus Canonicis Doctoribus, Pœnitentiarius Diocesis existat, qui conficiantur populi per univèrsam Diocesim Gandavensem curam habeat.

Præterea apud alios duos Doctores, vel Licentiatos Seniores, unum videlicet Theologiæ Professore, alterum verò Jurisperitum potestatem totam Diocesim Gandavensem, ipsius Episcopi vice, vel quoties ipse id eis mandaverit visitandi: Quibus etiam reliqui Graduati, quoties ad id requisiti fuerint, assistere debeant.

Apud Archidiaconum verò, & tres alios ex Graduatis hujusmodi, duos videlicet Theologos, & unum Jurisperitum prædictos, Clericos ad Sacros Ordines promovendi & Rectores Parochianos quacumque auctoritate provisos, ad Curæ Pastoralis exercitium admittendi, potestas permaneat: Ita ut ipsi nullos nisi idoneos, & quantum ad animarum curam pertinet, quòd personalem facient residentiam, expressè juratos admittere valeant.

Ac ut in univèrsa Diocesi prædicta tot Archipresbyteri, vel Decani rurales deperentur, quot esse conveniet, & illi, qui nunc sunt in officio suo cum solitis emolumentis, salva tamen ipsius Episcopi moderatione, remaneant.

Ac tam Archidiaconus, Archipresbyter, & Pœnitentiarius, quam reliqui septem Canonicus, ratione suarum Præbendarum hujusmodi Consilium, & operam in negociis Ecclesiæ, & Religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quando, & quoties ab eodem Episcopo requisiti fuerint, tam conjunctim quam divisim, fideliter præstare teneantur, eisdem auctoritate & tenore perpetuò statuimus, & ordinamus.

Et si eidem Episcopo videbitur, ex nunc Archidiaconatum, Archipresbyteratum, & Pœnitentiarium in dicta Ecclesia, in dignitates in ipsa Gandavensi Ecclesia, non tamen post Pontificalem majores, & seu Personatus, cum solitis eorum privilegiis, & prærogativis, juribusque, & pertinentiis eisdem auctoritate, & tenore perpetuò erigimus, & instituiamus.



Et insuper ut idem Gandavenfis Episcopus in dicta sua Civitate, quæ Caput Flandriæ existens amplitudine, celebritateque nulli partium illarum Civitati cedere dignoscitur, unde statum suum juxta Pontificalis dignitatis exigentiam commodius sustentet, habeat, eodem Mensæ unam mille ab omni decima, Subsidio, & alio quovis ordinario, & extraordinario onere, ex quavis causa, etiam pro Civitate Sancta, & defensione Patriæ pro tempore impositis, liberam, immunem, & exemptam:

Nec non Archidiacono, Archipresbytero, Pœnitentiario, reliquisque septem Canonicis præfatis, pro tempore existentibus aliam quingentorum Ducatorum similitudinem, eorum singulis, videlicet quinquaginta Ducatorum pensiones annuas, & perpetuas, super fundis, & decimis, cæterisque fructibus, redditibusque, & proventibus Monasterii Sancti Petri Gandavenfis, ejusdem Sancti Benedicti, seu alterius Ordinis, quorum medietatem pensionis hujusmodi insimul, ut etiam jam accepimus, non excedunt, Episcopo, seu Præsuli Gandavenfi, ac Archidiacono, Archipresbytero, & Pœnitentiario, reliquisque septem Canonicis præfatis pro tempore existentibus, vel Procuratoribus suis ad id ab eis speciale mandatum habentibus respectivè, per dilecti Filii moderni Abbatis ejusdem Monasterii Sancti Petri Successores, Monasterium ipsum in totum, vel Commendam pro tempore obtinentes, annis singulis, pro una vide licet in Domini nostri JESU proximi, ab obitu ipsius moderni Abbatis proximè sequente incipiendo, & altera medietatis pensionum hujusmodi in Sancti Joannis Baptistæ nativitatibus Festivitatibus in Civitate Gandavenfi, Litteris præsentibus pro tempore existenti Abbati Monasterii Sancti Petri hujusmodi intimatis, integrè persolvendas, & quoad ipsam pensionem mille Ducatorum per eundem Episcopum, etiam una cum ipsa Ecclesia Gandavenfi percipiendam, auctoritate, & tenore præmissis perpetuò reservamus, constituimus, & assignamus.

Decernentes ipsius moderni Abbatis Successores prædictos ad integram solutionem pensionum hujusmodi Episcopo, seu Præsuli Gandavenfi, ac Archidiacono, Archipresbytero, Pœnitentiario, & reliquis septem Canonicis pro tempore existentibus prædictis faciendam, juxta reservationis, constitutionis, & assignationis prædictarum tenorem, efficaciter, & perpetuò obligatos fore; Ac volentes, & eadem auctoritate statuente, quòd ille ex Successoribus prædictis, qui in dictis Festivitatibus, vel saltem infra triginta dies illarum singulas immediate sequentes, pensiones hujusmodi per eum tunc debitas non persolverit cum effectu, lapsis diebus eisdem, sententiam excommunicationis incurrat, à qua, donec Episcopo, vel Præsuli Gandavenfi, ac Archidiacono, Archipresbytero, Pœnitentiario, & reliquis septem Canonicis, vel eorum Procuratoribus præfatis de pensionibus hujusmodi tunc debitis respectivè integrè satisfactum, aut alias eum ipsis super eo amicabiliter concordatum fuerit, præterquam in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium nequeat obtinere.

Si verò sex menses dictos triginta dies immediate sequentes sententiam ipsam animo, quòd absit, fulsuerit indurato, ex tunc, effluxis ipsis, regimine, & administratione dicti Monasterii Sancti Petri perpetuò privatus existat, ipsumque Monasterium vacare censeatur eo ipso.

Et ut de Viris spectatæ doctrinæ, & probitatis ad ædificationem Ecclesiæ Dei accuratius prospiciatur, quòd ipsi decem Canonicatus, & totidem Præbendæ hac prima vice per Episcopum duntaxat, qui illos eisdem Graduatis, & Nobilibus alternatis vicibus conferat, & deinde illi, quoties eos futuris temporibus vacare contigerit, ad electionem Episcopi, & aliorum Graduatorum prædictorum superstitum omninò pertinentes, per eos con-

ferantur; Ita quod in hujusmodi electione Suffragium Episcopi non plus juris, sive momenti, quàm cujusvis Graduatorum eorumdem habeat, nisi vocum paritate occurrente, quo in casu tunc iteratum Episcopi Suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat.

Quodque posthac iidem decem Canonicatus, & decem Præbendæ sub nullis specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, affectationibus, etiam in Corpore Juris clausis, nec non expectativis, coadjutoriis, deputationibus, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando, & aliis disponendo, primariis, vel aliis precibus, & aliis præventivis gratis per Nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, & dictam Sedem, vel ejus Legatos, & consideratione, contemplatione, intuitu, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & ex quacumque causa, quantumlibet urgenti pro tempore factis, & concessis comprehendantur, nec etiam tanquam vacantes apud Sedem præfatam, aut ulla alia ratione generaliter, vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem, & ex causa permutationis apud Sedem eandem pro tempore occurrente, per Romanum Pontificem, aut Sedem eandem de illis provideri, aut alias quomodolibet disponi possit.

Et quoniam impia hæreticorum studia, temporisque malicia Viros doctos ab Ecclesiis suis diutius abesse non patiuntur, quòd si Canonici Graduati prædicti ab eadem Ecclesia, nisi ab Episcopo, vel Capitulo missi, per duos menses abfuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, ipsique fructus eidem Capitulo cedant.

Ac omnes proventus singularum Præbendarum in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus, his solum, qui divinis Officiis in Choro deservierint, & imbi à principio usque ad finem, excepta necessitatis causa, permanerint, ministrari debeat, nec quicquam ulla dispensatione, vel privilegio Apostolico quacumque causa impetrato vel concesso, sese à residentia hujusmodi eximere possit.

Jus omne decem Canonicatus, & decem Præbendas prædictos conferendi, & de illis disponendi, vel alios eligendi, seu nominandi ab Episcopo, & seu Præposito & Capitulo prædictis, nec non Civitatem, & Diocesim Gandavensem prædictas, ac omnia, & singula, Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Præposituras, cæteraque Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, Sæcularia, & quorumvis Ordinum Regularia, & alia pia loca in illis consistentia, nec non Jus illa conferendi, & de illis providendi, ac aliis quomodolibet disponendi, nec non visitandi, corrigendi, puniendi, aliaque jura, fructus, redditus proventus, res, & Bona quacumque per quoscumque Archiepiscopos, & Episcopos in eisdem Civitate, & Diocesi Gandavenfi ordinario Jure haberi, & percipi solita, ab illis, eorumque Diocesi, & Mensis Archiepiscopalis, & Episcopalis, ita quòd ipsi se deinceps in illis aliquatenus intromittere, ullamve actionem prætere nequeant, aliisque ad quos spectat, post promotionem primi Episcopi Gandavenfis hujusmodi, perpetuò auferentes, & amovescentes, ac Jus decem Canonicatum, & Præbendarum conferendarum in præmissum electionis modum immutantes, ac ad Episcopum, & novem Canonicos Graduatos præfatos, reliqua verò abdicata, & amota præmissa ad eosdem Episcopum Gandavensem, ejusque mensam transferentes, ac abdicata, amota, immutata, & translata esse, sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in quavis causa, & instantiâ, sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpre-



tandi facultate, & auctoritate judicari, & definiti debere, ac quicquid fecus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Nostri Archiepiscopo Mechliniensi, & Atrebarensi, & Feltrensi Episcopis, per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium seu alios praesentes Litteras, & in eis contenta quaecumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Episcopi, Archidiaconi, Archipresbyteri, Penitentiarum, Canonicorum, & aliorum praedictorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos, suppressione, extinctione, applicatione, appropriatione, statuto, ordinatione, aliisque praemissis pacifice frui, & gaudere, ac easdem praesentes, & in eis contenta quaecumque firmiter observari, nec non pensiones praedictas Episcopo, vel Praefuli Gandavensi, ac Archidiacono, Archipresbytero, Penitentiarum, & aliis septem Canonicis respectivè, vel eorum Procuratoribus praedictis, juxta reservationis, constitutionis, & assignationis, ac decreti praedictorum continentiam, & tenorem integrè persolvi.

Non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel impediri, aut inquietari, & nihilominus, ut quemlibet ex Abbatibus Monasterii Sancti Petri Successoribus praedictis, hujusmodi excommunicationis sententiam eis incurrisse constet, quoties super hoc pro parte Episcopi, sive Praefulis, ac Archidiaconi, Archipresbyteri Penitentiarum, & Canonicorum praedictorum fuerint requisiti, tamdiu Dominicis, & aliis festis diebus, in Ecclesiis, dum major inibi populi multitudo ad divina convenit, excommunicatum publicè nuncient, & faciant ab aliis nunciari, ac ab omnibus arcibus evitari, donec Episcopo, seu Praefuli, ac Archidiacono, Archipresbytero, Penitentiarum, & Canonicis praefatis de pensionibus hujusmodi tunc debitis respectivè fuerit integrè satisfactum, ipseque excommunicatus ab excommunicationis sententia hujusmodi abolitionis Beneficium meruerit obtinere.

Contradictores quoslibet, & rebelles, ac praesentibus non parentes quoad reliqua praemissa, sub excommunicationis latae sententiae, ac privationis Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, inhabilitatisque ad illa, & alia in posterum obtinenda, ita quòd Beneficia, & Officia hujusmodi tanquam per privationem legitime & Canonicè factam vacantia ab aliis impetrari, & per locorum Ordinarios liberè conferri possint, aliasque Sententias, Censuras, & Pœnas tam Ecclesiasticas, quam pecuniarias arbitrio suo imponendas, moderandas, & applicandas, eo ipso incurrendas, eadem auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, nec non legitimis super his hujusmodi servatis processibus, Sententias, Censuras, & Pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Non obstantibus voluntate, ac Statuto, & ordinatione nostris prioribus, & aliis praemissis, ac alia nostra de non tollendo Jus quaesitum, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à Jure permissis fieri prohibentis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ Octavi etiam Praedecessoris nostri, quæ cavetur, ne quis extra suam Civitatem, vel Diocesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ Diocesim ad iudicium evocetur, seu ne Judices à Sede Apostolicà deputati extra Civitatem, vel Diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere praesumant, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, dummodò ultra tres dietas aliquis tenore praesentium ad Ju-

dicium non trahatur, aliisque Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Monasterii, Ordinis, & Ecclesiae Gandavensis praedictorum juramento, confirmatione Apostolicà, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus.

Nec non concordatis dudum inter Sedem praedictam, & Nationem Germanicam desuper initis, privilegii quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis Ecclesiae, Monasterio, & Ordini praedictis, eorum Superioribus, Capitulo, Conventui, & Personis, sub quibusvisque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis Clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, & super electionibus faciendis, ac aliis quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis.

Nec non quibusvis specialibus, & generalibus reservationibus, expectativis, & aliis gratiis, & in Canonicis creationibus, aliisque unionibus, & perpetuis absque consensu Coadjutorum deputationibus, nominationibus, citra accessus, & regressus facultatibus, mandatis, indultis, & concessionibus quibusvis personis, cujuscumque Dignitatis, status, gradus, & conditionis existentibus, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, ac nostris etiam antiquis, & descriptis Familiaribus, & continuis Commensalibus, ac Praelatis Domesticis, nec non Romanae Curiae Officialibus, etiam officia sua actu exercentibus, ex quavis, quantumlibet grandi causa, consideratione, intuitu, vel respectu, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum contemplatione, ac cum quibusvis antelationibus, praerogativis, & decretis, etiam irritantibus, & clausulis derogatoriis derogatoriis, etiam praesentibus derogantibus, etiam motu, & scientia similibus, ac aliis quomodolibet concessis, quos, & quorum tenores, ac si de verbo ad verbum infererentur, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, eorumque omnium vim, & effectum quoad praemissa omnino suspendimus, & in praemissis effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse, neque debere decernimus.

Illisque, nec non privilegii, Indultis, & Litteris Apostolicis illis, & aliis quibusvis per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac Nos, Sedemque praedictam, etiam per viam generalis Legis, & Statuti perpetui, nec non initi, & stipulati contractus, seu quasi, & aliam sub quibusvisque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam praemissorum, & quorumcumque aliorum, seu motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, & consistorialibus, ac aliis quomodocumque, qualitercumque, & quotiescumque concessis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innovatis, & concedendis, & innovandis.

Quibus omnibus, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formam in illis tradita observatam, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice duntaxat specialiter & expressè motu simili derogamus contrariis quibuscumque.

Aut si aliunde Dignitatibus Ecclesiae Gandavensis Speciales, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictae Sedis, vel Legatorum



ejus Litteras impetraverint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem Litteras, & processus habitos per eosdem, & inde sequuta quaecumque ad Præposituram huiusmodi volumus non extendi; Sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Dignitatum, vel Beneficiorum aliorum præiudicium generari.

Aut si Abbati, & Conventui, ac Capitulo prædictis, vel quibusvis communitatibus vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad præsentationem, vel solutionem pensionis alicuius minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, quodque de Dignitatibus Ecclesiæ Gandavenis huiusmodi, vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem, conjunctionem, vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per Litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suppressionis, extinctionis, applicationis, appropriationis, inhibitionis, decreti, statuti, ordinationis, erectionis, institutionis, reservationis, constitutionis, assignationis, voluntatis, abdicacionis, amotionis, immutationis, translationis, mandati, suspensionis & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romæ, apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo primo, secundo Idus Augusti, Pontificatus nostri, anno secundo.

Sic Signatum à dextro latere Fed. Cardinalis Cæsius, à sinistro Cæsar Glorierius, & inferius A. de Alexiis.

Bulla PII Papæ IV. super Episcoporum residentia: an. 1560.

PIUS EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.*

**D**E salute gregis Domini, nobis ex alto commissa, attentius cogitantes, ad ea libenter intendimus, per quæ grex ipse continua suorum cum eo residentia Pastorum præservetur à noxiis, & in devium prolapsus ad rectitudinis tramitem reducat, & ut Pastores ipsi residentiam ipsam, prout tenentur, commodius facere, ac circa ipsius gregis curam libentius ac ferventius invigilare, & illum ab errorum præcipitiis præservare, ac in fide orthodoxa & devotione nostra continere valeant, operam & operam efficacem impendimus, prout rerum & temporum qualitate pensata, conspicimus in Domino salubriter expedire.

Hinc est, quod nos motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, universos, & singulos Venerabiles Fratres nostros Episcopos, Archiepiscopos, Primate, & Patriarchas ab Ecclesiis & Diocæsi suis absentes, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub interdicti ingressus Eccle-

siæ penâ, eo ipso, absque alia declaratione incurrenda, districtè præcipiendo monemus, ut omnibus postpositis, quanto citius in Romanâ curiâ videlicet moram trahentes, intra unum: Extra eam verò in Italia, intra duos: Extra verò Italiam existentes, intra quatuor menses à die publicationis præsentium in locis infra scriptis faciendæ computandos se itineri committere, & legitimis itineribus ad Ecclesias, seu Diocæses suas proficisci, & sese personaliter conferre, ac ibidem, ut teneantur, residere, & Pastorale officium exercere debeant.

Si quis autem à Parochiali, Primatiali, Metropolitana seu Cathedrali Ecclesia sibi quocumque titulo, nomine seu iure commissa, quacumque illa dignitate, gradu & præminencia præfulgeat, legitimo impedimento, seu ipsis & rationalibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam Diocæsim morando abfuerit, amissionis quartæ partis fructuum unius anni fabricæ Ecclesiæ & pauperibus loci per Superiorem Ecclesiasticum applicandum, penam ipso iure incurrat.

Quod si per alios sex menses in huiusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum, similiter applicandam, eo ipso amittat: Crescente verò contumacia, ut severiori Sacrorum Canonum censuræ subiciatur, Metropolitanus Suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum verò absentem Suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub penâ interdicti ingressus Ecclesiæ ipso iure incurrenda, infra tres menses per litteras, vel Nuntium Romano Pontifici denunciare teneantur, qui in ipsos absentes, prout cuiusque major aut minor contumacia exegerit, suæ supremæ Sedis Auctoritate animadvertere, & Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire. Eosdem autem Patriarchas, Primate, Archiepiscopos & Episcopos mandatis nostris parentes, & apud suas Ecclesias, seu in earum Diocæsi personaliter residentes, specialibus favoribus & gratis prosequi volentes, ut liberius & commodius suo officio fungi valeant, eis, & eorum cuilibet, ut quando refecerint, etiam prætextu quorumcumque delictorum, excessuum, etiam atrociorum, etiam hæresis & læsæ Majestatis criminum, per eos quomodolibet commissorum, ad comparandum personaliter in Romana Curia per quoscumque Iudices ordinarios, vel delegatos, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, nisi vigore specialis commisionis manu nostra, vel Romani Pontificis pro tempore existentis signatæ trahi, aut citari non possint, nec debeant: Atque aliter factas citationes, & censuras in eis appositæ, ac inde secuta quaecumque, nulla & irrita, ac nullius roboris, & momenti fore, ac eos minimè afficere, aut arctare statuimus, & ordinamus. Nec non eos & eorum quemlibet ab omnibus & singulis decimis, subsidiis, & aliis oneribus ordinariis, & extraordinariis quomodolibet nuncupatis, per Nos & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, ad Sedem Apostolicam, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac etiam consistorialiter, etiam ad instantiam Regum & Principum quomodolibet, & ex quavis etiam, quamvis urgentissima, iustissima, ac pia & necessaria causa, etiam pro defensione Fidei Catholice, ratione dictarum Ecclesiarum, tunc & pro tempore impositis, illorumque solutione, Auctoritate Apostolica tenore præsentium, & simili scientia penitus & omnino eximimus & liberamus: nec ad id à dilectis filiis modernis, & pro tempore existentibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, nec non Cameræ Apostolicæ Thesaurario, Præsentibus & Clericis, ac decimarum, subsidiarum & aliorum onerum huiusmodi collectoribus, & subcollectoribus, seu exactoribus & commissariis, ad id pro tempore deputatis, etiam vigore quorumcumque privilegiorum, indultorum & litte-

XIII.  
Ex Me-  
moir. du  
Clergé de  
France,  
Tom. II.  
pag. 374.